



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldi Pervsini Commentariorvm In Pandectas Tomvs ...

Alphabeticvs Index, Omnes omnium quæstionum decisiones continens

Baldus

Lugduni, M.D.LVIII.

Typographus lectori S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95913](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95913)

Typographus lectori

S.



Civis studio adolescenti nihil primum maiore utilitatem adferre possit, quam si titularias inscriptiones ad unguem didicerit, vulgus rubricas appellat: miror quid istis in mentem venerit, qui non legis caput modo, non titulum, non paragraphum, non numerum, non paginam, sed ipsam etiam literam digito commensurare voluerunt: vulpi obtorpescenti istud est praedam in os conijcere, laboris aliquid hominibus imponendum est, ne, scilicet, otium in pinguem bene saginatam ignavia commutet, quod si a quingentis, aut amplius annis factum esset, non tot tantaeque clades, universa omnino res literaria pateretur: unde enim medicinae perturbatio: iuris legumque eversio: Philosophiae ruina: Theologia contemptus: quam ex torpentium socordia, ortas esse rimabimur? Itaque, quam teterrima ignorantiae mater, ac nutrice esse lutulentam pigritiam novimus, ab hac velut a scorpulo letaria iuventutis navim, per deum Opt. Max. arceamus. Euenit enim sapissime, dum tu radios illustres, ut in foueam decidas, quod certe Ioanni Thierrio huius indicis primo opifici euenisse, si primum exemplar, cum nostro hoc conferas, oculate perspicies: is enim dum numeros, dum folia, dum partes solum, ac Baldi nomen curat, summas mittit infinitas, leges evertit innumeras, sensus peruertit non paucos, falsos titulos saepe citat, neque enim, quod isti incusatores solent, in excussiores, emendatores, Compositores, et in Typographos istec culpa protrudenda est, nam isti non sensa, sed elementa solum pervertere possunt, quippe omnes, ut pura omnia exeant summa nituntur opum vi. Culpa est autorum ipsa, aut certe librorum, id est, eorum, qui ex dicentis ore exceperunt. Non enim Baldus aut Bartolus sua nobis tradiderunt: sed eorum discipuli, quod a magistri voce exceperant, id qual equale reliquerunt. Nos igitur dum restituedis omnibus totos nervos intendimus, tria facimus, corruptas summas emendamus, titulos restituimus, et omnia aut perturbata componimus. Enimvero quia Baldus quosdam Pandectarum libros semel tantum, alios bis, nonnullos etiam tertio, explicuit: priorem interpretationem prioris partis nomine, secundam secunda, et deinceps, designauimus. Istis, lector, dum tu latus fruebere, meliora conficiemus. Vale, Lugduni. 4. Cal. Iulias. 1557.

Ad eundem.

Commonefactum te interea velimus (iuris candidate) quotquot extant hoc Leonis iustitiae vindictae subiecti recentissimo insigni exemplaria, ex vetustissimis repraesentata, exprefave emendatius quam nunquam antea, prodire. Interim boni consule.

FRANCOFONIAE
M. D. C. LIII.